

TEM ANNOS REGNAVIT IN JERUSALEM. Ex hoc loco nonnulli colligunt à duodene Salomone genitum esse Roboamum, et quidem res esset certa, si à Salomone duodecimo ætatis anno regnum initum esse constaret. Quà de re nos supra latius, cap. 5, non longè à principio.

NOMEN MATRIS EJUS NAAMA AMMONITIS. Ex alieno genere erat Roboami mater, quæ licet principio cum ad legitimum Salomonis thalamum adducta est, abjuratâ patriæ religione, Israelitica sacra complexa est: fieri tamen potuit, imò et factum esse non est improbable, ut Salomone jam infatuato et non obscure favente religioni gentilicæ, ipsa ad religionem, quam repudiâsse videbatur (licet nunquam fortassè animum deposuisset gentilicum) rediret. Quare illi difficile non fuit filio non admodum intelligenti et cauto persuadere, ut quam ipsa à primis annis religionem hausisset, ipse maternis obsecutus precibus, cum nullum jam sese ostenderet à parentis severitate periculum, amplecteretur. Cum autem apud filios valere plurimum soleat matris indulgentia mollior et voluntas licet non semper, neque ubique justissima, perfecit cum filio plus satis obsequenti et facili, ut religionem desereret, quam à magis sano parente quondam acceperat. Unde illa ausus est flagitia, de quibus statim, quæ admitteret ad animum nemo, in quo aliquid esset pudoris aut mentis. Hæc autem mater Ammonitis dicitur, quæ ex usu magis

rationem æquè ac celebritatem, famam, gloriam, miracula, oracula, etc. In Jerusalem enim erat templum, sacerdotes, pontifices et prophetae, qui populum in Dei fide cultuque instruerent et promoverent.

NOMEN AUTEM MATRIS EJUS NAAMA AMMONITIS, nimirum soror aut filia Sobi, quem David loco Hanon bello victi regem Ammonitarum constituerat, qui proinde ut arctius sibi Davidem devinceret, petiit, ut Naama daretur uxor Salomoni filio Davidis, ut dixi 2 Reg. 17. 27. Concessit id David, eò quòd Naama ad Judæismum se converti velle diceret; sed Vatabl. et Emmanuel Sá, alique, suspicantur fictam et simulatam fuisse ejus conversionem, adeoque ipsam in corde mansisse gentilem, et deorum suorum cultricem; imò ad eorum cultum Roboam filium suum traduxisse, atque hanc fuisse causam invalescentis in Juda idololatriæ. Idcirco enim statim hic subdit Scriptura: *Et fecit Judas malum coram Domino, etc. Edificaverunt enim, et ipsi sibi aras, et statuas, et lucos.* Discant hic principes quam periculosum sit et Deo ingratum ducere filias infidelium vel hæreticorum, licet dicant se velle ad fidem converti: hoc enim dicunt ob spem regni vel principatûs, quia difficile est ut hæresim, quam à puero imbiberunt, seriò ex animo eradiciant. (Corn. à Lap.)

frequenti Scripturæ Ammonitis dici posset; et ita habent translationes recentes, et favet plurimum in originali voce punctorum notatio.

VERS. 22. — ET FECIT JUDAS MALUM (1) CORAM DOMINO. Diximus supra cap. 12, ad finem, ex ordine Levitico quamplurimos, qui inter decem tribus erant dispersi, adhæsisse Roboamo, et alios non paucos ex aliis tribubus, quibus indicta à Jeroboamo religio displicuit; qui omnes cum principio religionem colerent antiquam, sensim tamen ita cum suo rege defecerunt, ut post tres annos nihil viderentur meliores Jeroboamo jam idololatrâ, et illius populo, qui penè nihil distabat à gentilico. De quibus lib. 2 Paralip. cap. 11, v. 17: *Ambulaverunt enim in viis David et Salomonis annis tantum tribus.* Post quos illa ediderunt flagitia, quæ statim commemorantur, qualia nempe illorum patres olim nihil magis in religione stabiles admisere. (2)

VERS. 24. — SED ET EFFEMINATI FUERUNT IN TERRA. Præter alia multa, quæ contra religionem aut commiserunt aut permiserunt scelera duæ reliquæ tribus, in quibus religio et pietas perseverasse credebantur, ut excitasse aras, sacrasse lucos et impia gentilicæ vanitatis delubra, illud etiam addidit vitæ jam omninò profligatæ monumentum, ut non tantum feminarum (licet etiam hoc esset execrabile),

(1) Puta idola, quæ antonomasticè vocantur *malum*, sive *peccatum*, quia ipsa summum sunt scelus. Roboam primis tribus regni sui annis cum suâ tribu Juda in fide et cultu veri Dei perstitit; sed iis elapsis, illam deseruit, variasque effeminatorum spurcitiis permisit; quâ de causâ Deus in eum anno regni sui quinto immisit Sesac regem Ægypti, qui Jerosolymam cepit et spoliavit: causa idololatriæ fuit partim mater Roboam, puta Naama jam dicta, partim uxor Maacha. (Corn. à Lap.)

(2) VERS. 25. — EDIFICAVERUNT SIBI ARAS SUPER OMNEM COLLEM EXCELSUM. Antè conditum templum et antequàm Dominus certum sibi locum destinasset ad sacrificia et cultum populi altaria in editis locis tolerabantur, nec religioni ducebant v r i quique pietate insignes, cum ea sacrificiis frequentarent. Sed aræ illæ stabant plerumque in locis insignibus, sive angeli alicujus per visum objecti, sive prodigii alicujus gesti memoriâ; sive quòd ibi arca Domini conederit, vel denique quòd locum illum propheta aliquis vel patriarcha oblatione sacrificiorum consecraverit. Sed posito templo, edita loca et erecta ibi altaria non aliter habenda erant ac profana; facultas omnis novas aras erigendi atque sacrificia offerendi in priscis altaribus cessavit. Sed Roboamus cum suis leges hæc omnes pessumdedit. Templum ferme desertum est, nova idolis altaria surrexerunt, consecrati sunt illis luci; passim erecta simulacra; superstitio atque idololatria latè per totam regionem inundavit. (Calmet.)

sed etiam masculorum prostibula, et quasi utriusque sexûs mercede prostituti emporia variis in locis constituerint. Quæ impudentia variis temporibus Hebræorum rempublicam inhonestè fœdavit. De quâ Isaias queritur cap. 2, vers. 6, qui ad hæc fortassè tempora spectabat: *Et pueris alienis adhererunt.* Hæc etiam pathicorum puerorum monstra fuerunt tempore Josiæ, quæ pius ille rex 4 Reg. cap. 29, sustulisse dicitur, quibus in ipso templo pro nefandâ illâ libidine erant destinata cubilia. Sic autem ibi v. 7, de Josiâ: *Destruxit quoque ædiculas effeminatorum, quæ erant in dono Domini.* Quod etiam Machabæorum tempore contigisse legimus lib. 2 Machabæorum cap. 4, v. 12, ubi sic de Jasone sacerdote summo: *« Ausus est sub ipsâ arce gymnasium constituere, et optimos quosque epeborum in lupanaribus ponere. »* Ubi vulgatus *effeminati*, Hebr. est, *שִׁדְדֵי* *caedes*, quæ vox scortum masculum, cynædeum, aut puerum meritorium sonat. Quare non placet, quod quidam apud Abulensem q. 35 existimant, quod ipse meritò confutat, in quibus est Lyra, qui dicunt effeminatos esse, qui ut sacerdotes, seu Corybantes esse possent deæ Phrygiæ, quæ Cybele, seu Berecinthia dicitur, sibi ipsis exsecuere virilia, nisi dicamus hos etiam fuisse pathicos, quia cum non possent adversam exercere, adversam consueverunt sustinere libidinem. Sed de hæc Corybantum infamiâ nihil, de alio prostituti corporis flagitio in Scripturâ sacrâ sæpiùs audimus; atque ideò, meo judicio, illa de Corybantibus cogitatio locum non habet.

VERS. 25. — IN QUINTO AUTEM ANNO REGNI ROBOAM ASCENDIT SESAC REX ÆGYPTI IN JERUSALEM, ET TULIT THESAURUS DOMUS DOMINI (1). Sicut Salomonis impietatem Deus impunitam esse noluit, sic etiam neque Roboami filii,

(1) Qu'il y ait eu un *Sésostis*, ou qu'il n'y en ait jamais eu; que Sésac, qui pilla Jérusalem, soit ou ne soit pas *Sésostis*, ce sont des questions qui n'intéressent point la révélation; mais qu'un écrivain se joue du public jusqu'au point d'oser dire: « Ce qui ferait croire que ce ne fut pas Sésostis qui pilla Jérusalem, c'est qu'il ne pilla pas Sichem, Jéricho et Samarie, car Hérodote dit qu'il pilla toute la terre, » c'est comme si on prétendait qu'Alexandre ne conquît pas l'Asie, parce qu'il n'est pas dit qu'il ait conquis Nazareth et Bethléem. Ce qui met le comble à l'absurdité de cette plate observation, c'est que son auteur (Voltaire) a dit quelques pages plus haut qu'alors Samarie n'était pas, que Jéricho n'était qu'une mesure, et que Sichem n'était pas rebâtie. (Duclot.)

qui et ipse impius fuit. Et quia principum exempla, præsertim in malum, potentissima sunt, impietatem etiam in reliquis sibi tribus induxit. Contra hunc igitur misit Dominus Sesac regem Ægypti, qui conflagavit exercitum et numero magnum, et bellico apparatu optimè instructum. Qui sic fuit in assumpto sibi negotio fortunatus, ut brevi secum thesauros omnes, et ornamenta sustulerit, quæ Salomon in templo Domini et in domo suâ collocarat; quæ et ponderis fuèrunt ingentis, et artificii atque operis eximii. In his numerantur aurea scuta, de quibus cap. 10, v. 16, pro quibus Roboamus ærea suffecit, quorum usum hic affert sacer historicus. Ex quo intelligimus aurea scuta, quæ Salomon excudi fecit, quem usum habuerint, nempe ut regem comitarentur cum domum ingrederetur Dei ad ambitionem regniæ majestatis ostentationem, non ut in acie militem munirent. Quare illa his tantum tradebantur, qui ante domûs regniæ fores exubabant, qui regem in incensu publico præcederent; et cum jam eo munere essent perfuncti, reddebant scutariorum præfecto, ut illa in armamentarium reduceret.

Qualis porò apparatus regis Ægyptii fuerit, habes lib. 2 Paralip. cap. 12, et quomodo domum regiam, et templum spoliaverit, et reliqua, quæ ad hunc Ægyptiorum appulsum spectant. Sunt qui hunc Sesac Sesostrem esse dicant, de quo mira narrant Ægyptii, ut auctor est Herodotus lib. 2, Diodorus Siculus lib. 2; ita Josephus lib. 8, cap. 4, ubi huic Sesac illa attribuit, quæ Herodotus Sesostri. Quod si verum est, gravissimam ab hoc Sesac, seu Sesostri ignominiam pertulit Roboamus, illamque suâ impietate atque stupore non indignam. Refert enim de Sesostri Herodotus, et eadem, ut apparet, Josephus de Sesac, si quando regem imbellem et timidum superasset, erexisse tumulum ac monumentum, in quo muliebri potius aliquid apparetur quam virile, ut ostenderet posteris se cum muliere potius quam cum viro habuisse certamen, quæ monumenta variis in locis erecta conspiciantur. Quam ignominiam, ut opinor, non effugit Roboamus, si vera hæc sunt, qui timidus fuit animo, ut habemus lib. 2 Paralip. cap. 13, v. 7: *Roboam erat rudis, et corde pavido, nec potuit resistere eis.* Neque diù ac fortiter repugnavit Ægyptio; quare si quispiam aliud, hic dignus fuit, cujus memoria ad æternam ignominiam incidere in saxis.

De hoc Sesostri alia quædam referunt histo-

riei, quæ si passus est Roboamus, nihil ingenio accidere potuit acerbius, nihil regis personæ indecorum et indignum magis. Eo etenim barbarus hic princeps insolentis processit, ut reges, quos armis superasset, ad currum jungeret triumphalem, et eâ inusitatâ pompâ supra reges se esse, atque supra homines videretur. Hujus pompæ immanis planè, et barbaræ meminit Plinius lib. 33, cap. 2; Diodorus lib. 2; Lucanus lib. 10:

*Venit ad occasum, mundique extrema Sesostis,  
Qui Pharios currus regum cervicibus egit.*

Hæc ego vera esse non credo, quia horum nullum apparet in sacrâ Scripturâ vestigium, neque cum rege eâ ratione superato satis aptè conveniunt, quæ statim de Roboamo dicuntur, cujus parùm post hanc victoriam videtur aut potestas fracta, aut obscurata majestas. (1)

VERS. 29. — RELIQUA AUTEM SERMONUM ROBOAM, ET OMNIA QUÆ FECIT, ECCE SCRIPTA SUNT IN

(1) VERS. 26. — ET TULIT THESAURUS DOMUS DOMINI, etc. Sesac diripuit Jerusalem, non tamen eam evertit, tum quia in Jerusalem inventa sunt opera bona poenitentis, scilicet religionis, deprecationis, sacrificiorum, elemosynarum, quibus viri pi eversionem deprecati sunt à Deo, 2 Paralip. 12, 12, tum quia rex Roboam videns Sesac vastare Judæam, cum suis respicit, dicens: *Justus est Dominus, ut dicitur 2 Paral. 12, 6, ubi et additur: Cùmque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis auxilium auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac. Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis mee, et servitutis regni terrarum; quid scilicet intersit inter servire Deo, et servire homini puta Sesac regi. Deus enim suos servos dicit et exultat; Sesac verò deprimit et spoliatur. Denique ibidem de Roboam, v. 14, dicitur: Fecitque malum, et non preparavit cor suum ut quæreret Dominum.* (Corn. à Lap.)

VERS. 27. — TRADIDIT EA IN MANUM DUCUM SCUTARIORUM, nempe corporis custodum. Hebraeus ad litteram: *In manu principum cursorum*, seu custodum corporis. Phrasid hæc, *in manu*, designat sæpè locum, atque in hunc sensum Aquila et Symmachus interpretantur. Clypeos hosce Roboamus posuit in aula principum, qui corporis custodibus præerant. (Calmet.)

VERS. 28. — *Lorsque le roi entra dans la maison du Seigneur, etc.* Il paraît par là, dit un interprète, que Roboam n'avait pas entièrement abandonné le culte de Dieu, mais qu'il unissait, par un mélange de sacrilège, l'adoration du Seigneur avec celle des idoles, ce qui n'arrive que trop souvent dans l'Eglise, où l'on mêle aussi une apparence extérieure de religion avec toutes les passions à qui l'Apôtre a donné le nom d'idoles, lorsqu'il nomme l'attaché criminelle que l'on y a, une véritable idolâtrie. (Sacy.)

LIBRO SERMONUM DIERUM REGUM JUDA. Quæ sint hæc verba dierum, sive regum Juda, sive regum Israel, diximus in prolegomenis ad hos libros Regum. Ex quibus in libris Paralipomenon sumpta sunt plurima, quorum hic aliquid adducemus, ne quid desit ex Roboami historia, quod alio nobis loco referendum sit. Primum ex cap. 11 lib. 2 Paral. habemus multas civitates muratas ædificasse, id est, curâsse ut mœnibus cingerentur, quibus præposuit viros, qui illas tuerentur et regerent, curavitque ne horreis, quæ in singulis civitatibus extruxit, cibaria decessent ad vitam necessaria, neque in armamentariis scuta, atque hastæ. Uxores habuit decem et octo, et in his Maacha filiam Absalomis, ex quâ suscepit Abiam, quem ex omnibus sui loco regem suffecit, quia magis illum administrando regno putabat idoneum. Præter has, sexaginta concubinas habuit. Ex his porro viginti octo suscepit filios, et filias sexaginta, et ad finem usque vitæ cum Jeroboamo pugnavit. Sed cum hæc fecerit, in quibus aliquid videretur apparere consilii, non tamen ita suam, aut publicam rem administravit, ut evitaret rudis, aut stolidi nomen. Quod ipse etiam Abias objecit parenti, à quo appellatus est rudis, et homo cordis pavidus. Sed de illo gravius habemus judicium Eccles. c. 47, v. 27, ubi sic de Salomone: *Et dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam, et imminutum à prudentiâ Roboam, qui avertit gentem consilio suo.*

Quam impiè vixerit Roboam, gentisque suæ mores non solum malè vivendi permissâ licentiâ, sed etiam exemplo vitæ pessimo corruerit, paulò ante diximus ad versum 22. Neque videtur per idoneam poenitentiam respicisse: tum quia de illâ nihil habemus ex Scripturâ; tum etiam, quia obstinati in suâ iniquitate animi aliquod apparet in Scripturâ vestigium. Nam lib. 2 Paralip. cap. 12, v. 14, fecisse dicitur malum, neque de poenentiâ, aut quærendo Deo cogitasse: *Fecit autem malum, et non preparavit cor suum, ut quæreret Dominum.* Quod esse extremæ impoententiæ non obscurum indicium in hunc locum Paralipomenon putat Abulensis quæst. 21. Hæc sunt quæ de Roboami vitâ ac moribus, rebusque gestis dicere habui. Alia omitto, quæ, quia leviora sunt, non puto, à nobis lector desiderabit. (1)

(1) VERS. 30. — FUIT BELLUM INTER ROBOAM ET JEROBOAM CUNCTIS DIEBUS. Non semper quidem in armis et inimicitis perseveratum est. Scimus

## CAPUT XV.

1. Igitur in octavo decimo anno regni Jeroboam filii Nabath regnavit Abiam super Judam.

2. Tribus annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Maacha filia Abessalom.

3. Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui quæ fecerat ante eum, nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo, sicut cor David patris ejus.

4. Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Jerusalem, ut suscitet filium ejus post eum et statueret Jerusalem.

5. Eò quòd fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi.

6. Attamen bellum fuit inter Roboam et Jeroboam omni tempore vitæ ejus.

7. Reliqua autem sermonum Abiam et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda? Fuitque prælium inter Abiam et inter Jeroboam.

8. Et dormivit Abiam cum patribus suis, et sepelierunt eum in Civitate David. Regnavitque Asa filius ejus pro eo.

9. In anno ergo vigesimo Jeroboam, regis Israel, regnavit Asa, rex Juda;

10. Et quadraginta et uno anno regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Maacha, filia Abessalom.

11. Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus.

12. Et abstulit effeminatos de terrâ, purgavitque universas sordes idolorum quæ fecerant patres ejus.

13. Insuper et Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi et in luco ejus quem consecraverat; subvertitque specum ejus, et confregit simulacrum turpissimum, et combussit in torrente Cedron;

enim, in exordio regni Roboamum prohibitum à Deo fuisse, ne moveret in Jeroboamum; et Abia ita depingit Roboamum: *Porro Roboam erat rudis et corde pavidus, nec potuit resistere eis, nempe rebellibus.* Neque tamen id prohibet, quominus toto regni tempore similtas et dissi-

## CHAPITRE XV.

1. La dix-huitième année du règne de Jéroboam, fils de Nabath, Abiam régna sur Juda.

2. Il régna trois ans dans Jérusalem. Sa mère se nommait Maacha, et était fille d'Abessalom.

3. Il marcha dans tous les péchés que son père avait commis avant lui; et son cœur n'était point parfait avec le Seigneur, son Dieu, comme l'avait été le cœur de David, son père.

4. Cependant le Seigneur, son Dieu, lui donna, à cause de David, une lampe dans Jérusalem, en suscitant son fils après lui pour soutenir Jérusalem.

5. Parce que David avait fait ce qui était droit et juste aux yeux du Seigneur, et que dans tous les jours de sa vie il ne s'était point détourné de tout ce qu'il lui avait commandé, excepté ce qui se passa à l'égard d'Urie, Héthéen.

6. Il y eut néanmoins toujours guerre entre Roboam et Jéroboam tant que Roboam vécut.

7. Le reste des actions d'Abiam et tout ce qu'il fit est écrit au livre des Annales des rois de Juda. Et il se donna une bataille entre Abiam et Jéroboam.

8. Après cela, Abiam s'endormit avec ses pères, et on l'ensevelit dans la ville de David. Et son fils Asa régna en sa place.

9. La vingtième année de Jéroboam, roi d'Israël, Asa, roi de Juda, commença son règne.

10. Il régna quarante-un ans dans Jérusalem.

dia utrumque hoc regnum inter se committerent, atque hostilibus sese mutuò similitatibus lacesserent, quanquam nunquam eò ventum est, quantum scimus, ut aperto et justo bello utrinque decertaretur. Juda et Israel hostilibus sese et oculis et animis invicem insectabantur.

VERS. 31. — DORMIVIT ROBOAM CUM PATRIBUS SUIS, ætatem agens octo et quinquaginta annorum, regni decem et septem. Princeps regimini parùm aptus, cui omnia deerant, sapientia, robur, religio; quorum loco erant ferocia, superbia, festinatio in consiliis. Laude aspergendus est aliqua ex sollicitudine muniendi urbes ditiosis suæ, atque armamentaria et cellaria condendi. Substitit primò in Sichem; deinde sedem Hierosolymam transtulit. Uxores habuit duodeviginti, concubinas sexaginta, è quibus duodeviginti filii, et filia sexaginta. Maacha filia Absalomi maximè ebata fuit inter ejus uxores, cæterisque filiis Roboam præposuit Abiam, sibi ex Maachâ genitum, quem et regni successorem habuit. Roboami historiam litteris mandarunt prophetae Semeias et Addô. (Calmet.)